c uenit. Quocunqꝫ igitur tempore ſatum fuerit, ubi ſemine prægnans erit, tum carpendum uenit.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat & exiccat, præſertim ſi foris illinatur.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Milij ſimilitudinem refert, eodemꝫ modo in panes defingitur, & ad idem accõmodatum eſt, minus tamen quàm Milium nutrit & adſtringit.

EX GALENO.

Panicum facultate pauci nutrimenti, & exiccatoria. Siſtit quoꝫ nõnihil uentris fluxus, ceu ipſum etiam Milium. Panis itaqꝫ eius exigui eſt alimenti & refrigerans. Conſtat inſuper præaridũ & inſtar arenæ aut cineris friabilem eſſe: caret enim pene tus pinguedine & lentore. Iure igitur aluum humentem deſiccat. Agricolæ farina huius cocta admiſto adipe ſuillo & oleo ueſcuntur. Panicum in omnibus Milio cedit, inſuauius eſu, concoctu difficilius, uentremꝫ magis coërcet, minusꝫ nutrit. Huius farinã interdum cum lacte coctam, ruſtici ueluti triticeam eſitant. Clarumꝫ eſt id edulij tanto quàm illud per ſe ſolum aſſumptũ melius eſſe, quanto lac huius ſeminis natura ad boni ſucci procreationẽ, aliaꝫ omnia eminentius habetur. Dico autem alia omnia, cõcoctionem, uentris ſubductionem, in totum corpus diſtributionem, adeoꝫ ipſam in edendo ſuauitatem & uoluptatem. Hoc nanqꝫ ſemen nulla gratia aut iucunditate commendatur.

EX PLINIO.

Panicum Diocles medicus mel frugum appellauit. Effectus habet quos Milium. In uino potum prodeſt dyſentericis. Similiter ijs quę uaporanda ſunt excalfactum imponitur. Siſtit aluum in lacte caprino decoctum, & bis die hauſtum. Sic prodeſt
D & ad tormina.

DE ERICA. CAP. XCV.

NOMINA.

ΕΡΕΙΚΗ Græcis, Erica Latinis, Heyd Germanis dicit. Officinis inuſitata.

FORMA.

Erica fruticoſa arbor eſt Tamarici ſimilis, multò tamen breuior. Eius flore utentes apes, reprobũ mel conficiunt. Plinius lib. xxiiij. cap. ix. fruticem eſſe ſcribit nõ multum à Tamarice differentem, colore Roriſmarini, & penè folio. Id quod uerè de ea Erica, cuius nos picturam damus, dicitur. Theophraſtus etiam Roſmarino ſimilem Ericam facit. Habet flores in candido purpureos.

LOCVS.

In montibus & ſyluis locisꝫ arenoſis naſcitur.

TEMPVS.

Autumno floret ſola ferè in ſyluis.

TEMPERAMENTVM.

Calida & ſicca eſt Erica, id quod in guſtu amaritudo ſatis docet.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Ericæ coma & flores illita ſerpentium morſibus medentur.

EX GALENO.

Diſcutiendi facultate prædita eſt Erica: flore eius potiſſimũ & folijs utendum.

EX PLINIO.

Ericen aduerſari ſerpentibus tradunt.

APPENDIX.

Recentiores herbarij præter iam cõmemoratas, alias facultates addunt, nimirũ florum decoctum lumborũ ac uentris dolores lenire poſſe. Succum ex folijs floribusꝫ elicitum, oculis imbecillibus guttatim inſtillatum, aut foris inunctũ cõferre.

DE ERY-